



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Tyren. Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ri rescripto, taliter ad proposita respondemus. Quòd si testes inducti jam sint ad exceptionem solummodo comprobendam, cum super ea tantum juraverint dicere veritatem, super principali nec debent audiri, nec cogi testimonium perhibere, utpote super quo deponerent non jurati. Si verò cum ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium inducuntur, reliqua pars super principali etiam eos deponere fortè petierit, & ut cogantur super toto negotio dicere veritatem, sacramento eos postulaverit obligari, ad id sunt sine dubitatione cogendi, nisi forsan sufficiens productio testium super principali facta jam fuerit, vel renuntiatum à partibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ. Illi verò qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id solum tenentur juramento firmare, quòd veritatem eum credant juramento dicere qui purgatur. Datum Laterani IV. Nonas Januarij.

ARCHIEPISC. ET CAPITULO  
Tyren.

Epist. 514.  
Ne infideles  
conjuncti gra-  
du prohibito,  
post baptismum  
separentur.  
Cap. De infide-  
libus. De con-  
sanguini. & af-  
finitate.

**D**E infidelibus ad fidem conversis nos consulere voluistis, utrum si ante conversionem suam, secundum legis veteris instituta vel traditiones suas, citra gradus consanguinitatis à canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptismum. Super hoc igitur devotioni vestræ duximus respondendum, quòd matrimonium sic ante conversionem contractum, non est post baptismi lavacrum separandum, cum à Iudæis Dominus requisitus, si licet uxorem ex qualicunque causa relinquere, ipsis responderit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* per hoc innuens esse matrimonium inter eos. Datum Laterani III. Kal. Januarij.

TYREN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 515.  
Quòd Patriar-  
chæ & Prima-  
tes Archiepis-  
coporū & Epis-  
coporum subdi-  
tos judicare in  
prima instantia  
non debeant.  
Cap. Duo simul.  
De officio ordi-  
narij.

**D**VO simul, consultationem scilicet, & querimoniam, unica tuæ fraternitatis petitio continebat: per quam à venerabili fratre nostro Hierosolymitano Patriarcha querebaris Clericos tuos tecum injustè gravari, qui eos, spreto tuo judicio, coram quo parati sunt de se querentibus justitiam exhibere, licet ad eum per appellationem causa minimè deferatur, coram se respondere compellit: & utrum ad id possint de jure

compelli, per nostras postulabas literas edoceri. Volentes igitur tibi super gravaminibus providere prædictis, & consultationibus tuis quod canones sanciunt respondere, cum sit in canonibus diffinitum Primates vel Patriarchas nihil privilegij habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum canones sacri concedunt, & prisca consuetudo illis contritab antiquo, ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare, de fratrum nostrorum consilio respondemus quòd quandiu Clerici tui coram te voluerint stare juri, compelli non debent iudicium ejusdem Patriarchæ subire, nisi causa forsitan per appellationem ad ejus audientiam perferatur, aut, quod non credimus, aliquid ei à sede apostolica sit indultum. Datum Laterani Nonis Januarij.

In eundem ferè modum Acconensi Episcopo.

EPISCOPO SIDONIENSI,  
Beriten. & Biblien. Episcopis.

**S**ignificavit nobis venerabilis frater noster Acconen. Episcopus, quòd cum post recuperationem civitatis Acconen. ad inhabitandum in ea se contulissent quidam qui ante generalem occupationem terræ sanctæ in aliis civitatibus regni Hierosolymitani perpetuam elegerant mansionem, & in ea residentiam fecerant aliquantam, & adhuc etiam resideant in eadem, Prælati prædictarum civitatum eos ad solvendum sibi ecclesiastica jura, ecclesiastica districtione compellunt. Quia verò transgredi non debemus terminos à patribus constitutos, aut falcem in messem mittere alienam, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictorum locorum Prælatos, ut sibi nullam in prædictos Acconen. habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant quibus spiritualia non ministrant, monitione præmissa, districtione qua convenit, compellatis: ita tamen quòd si de agris in eorum parochia constitutis fructus percipiunt, & in ultramarinis partibus ratione prædictorum decimæ persolvuntur, \* de ipsis eis decimas cum integritate persolvant. Dicta verò Acconen. tanquam

Cap. Comp.  
Ita. 9. 2. 1.

Concil. Nicæ.

Epist. 516.  
De decimarum  
solutione.  
Cap. ult. de pa-  
rachite & al-  
tis parochianis.

\* In secunda  
Collecta. dis-  
cept.